

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias  
Integritatis S. Scripturae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.  
Chron. XXII, 1.2 De Annis Ahasiae**

Consentiente Venerando Theologorum Ordine - A. D. X. Decembris A. R. S.  
MDCCI ... Pro Loco Professionis Theologicae Ordinario Pvblice Defendet

**Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph**

**Regiomonti, MDCCL**

**VD18 90565665**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15091**

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO EXEGETICO-CRITICA  
EXHIBENS  
VINDICIAS INTEGRITATIS  
S. SCRIPTURAE  
QVOAD LOCVM VEXATISSIMVM  
*2 Chron. XXII. 1. 2.*  
DE ANNIS ACHASIAE.

---

CVIVS PARTEM POSTERIOREM  
CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOGORVM  
ORDINE

*A. D. X. DECEMBRIS A. R. S. CIO 1800. H. A. E. P.*

PRO LOCO PROFESSIONIS THEOLOGICAE ORDINARIO  
PVBLICE DEFENDET

*PRAESES*  
THEOD. CHRISTOPH. LILIENTHAL

S. THEOL. D. ET PROF. ORD. COETVS NEO-ROSGARTENSIS PASTOR  
ET BIBLIOTHECAE SENATVS REGION. PRAEF. PR.

*RESPONDENTE*

IOHANNE FRIDERICO KNORN,

REG. BOR. S. THEOL. C.

*OPPONENTIBVS*

GODOFREDO SOMMER, RIESEN. BOR. PH. & S. TH. CVLT.

ET


IACOBO FRIDERICO WERNER, REG. BOR. PH. & S. TH. CVLT.

---

*REGIOMONTI,*


STANNO REGIAE AULICAE ET ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE.





B.I.G.

Farbkarte #13



EVSTISSIMO  
 ATQVE POTENTISSIMO  
 PI AC DOMINO,  
 MINO  
**ERICO II.**  
 BORVSSORVM,  
 RANDENBVRGICO, S. R. I.  
 MERARIO ET PRINCIPI  
 ELECTORI,  
 O SILESIAE DVCI,  
 &c. &c. &c.  
 RIAE PATRI,  
 NO SVO CLEMENTISSIMO,  
 tationem hanc inauguralem cum ardentissimo  
 egiae prosperitatis voto, humillime offert  
 Seruus subiectissimus  
**CHRISTOPH. LILIENTHAL.**



*AVGVSTISSIMO  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO II.  
REGI BORVSSORVM,  
MARCHIONI BRANDENBVRGICO, S. R. I.  
ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI  
ELECTORI,  
SVPREMO SILESIAE DVCI,  
&c. &c. &c.*

*PATRIAE PATRI,  
REGI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,*

*Dissertationem hanc inauguralem cum ardentissimo  
Regiae prosperitatis voto, humillime offert  
Seruus subiectissimus*

*THEOD. CHRISTOPH. LILIENTHAL.*



## §. XV.

**M**agno consensu interpretes annos XLII, qui in nostro loco Achasiae tribuuntur, non ab eius natiuitate numerant; sed ab alio quodam termino. Sententia haec, quo probabilior plurimis visa est, eo maiori cum cura examinanda erit. Supponit enim *Chronicon Hebraeorum maius* (\*), anno trigesimo primo Assae Regis Judae, filium eius Josaphatum in matrimonium duxisse Athaliae filiam Amri Regis Israelis, qui eodem anno solus regnare coepit. Contractam vero hanc affinitatem adeo displicuisse summo Numini, vt domum Dauidis vna cum domo Achabi euertere decreuerit. Et ab hoc decreto diuino vsque ad Achasiae, qui vna cum Ioramio Israelitico violenta morte periit, effluxisse XLII. illos annos, qui Achasiae adsignantur. Sensum adeoque esse, Achasiae fuisse filium XLII. annorum: non quod tot annos vixerit; sed quod filius fuerit anni fatalis quadragesimi secundi, quem Deus extirpandae familiae Achabi destinauerat. Terminum enim illum ad finem versisse eodem anno, quo Achasiae thronum conscendit. Placet haec dubii solutio Iudaeorum nonnullis, et ex Christianis GENEBRANDO, SERARIO, COCCEIO, LIGHTFOOTO, quos laudat IOH. MEYERVS, qui ipse illam amplectitur, et a difficultatibus quibus premitur liberare contendit (\*\*). Vident alii, nec Josaphati cum Athaliae matrimonium in historia sacra fundatum esse, nec vllum ibidem decreti diuini de excindenda vtriusque familia inueniri vestigium. Hinc simpliciter aiunt, Achasiae annos XXII. natum, regnum adiiisse anno XLII. a confirmato Amraei in Israele regno. Sententiam hanc IVNII et TREMELLII tantisper arripientiam censet MICHAEL WALTHERVS (\*\*\*), donec excogitetur melior; verba vero textus, admissa quadam traiectione, sequentem in modum reddenda esse: *Ita regnavit Achasia filius Iorami Rex Judae, cuius matri nomen Athalia, nata Amri regis quadragesimum secundum annum, quum Achasia regnaret, qui anno vno regnavit Hierosolymis.* Sensus adeoque esset: floruerat per XLII. iam annos Amraei familia, vnde per matrem ortum traxit Achasia, quum hic rerum potiretur. Nec specie carent, quae pro hac explicatione adduci solent argumenta. Ipsam 1) Chronologiam vtriusque regni illam confirmare autumant eius defensores, dum reipsa Amraei familia XLII. annis thronum occupauerit. Amri quidem duodecim annis regnasse dicitur 1 Reg.

D

XVI.



XVI. 23; sed primis quatuor annis aderat adhuc regni aemulus Thibni, cuius castra pars populi sequebatur v. 21. Mortuo vero Thibnio, solus regnare coepit Amri anno XXXI. Assae Regis Iudae, regniq̄ue habenas tenuit solus octo annis, nimirum vsque ad annum XXXVIII. Assae, quo ipsi successit filius Achab, qui viginti duobus annis reipublicae praesuit v. 29. filioque suo Achasiae Israelitico tandem thronum reliquit. Hunc, postquam eodem anno morbo confectus grauiissimo diem obiisset, in regno excepit Ioramus Israeliticus, quod annis duodecim tenuit 2 Reg. III. 1. Si igitur anni VIII. Amraei, XXII. Achabi et Achasiae, et XII. Iorami Israelitici in vnam summam colligantur; proueniunt XLII. anni, inde ab initio confirmati Amraei regni. Eandem esse annorum summam aiunt, si conferatur Chronologia regni Iudaici. Anno enim XXXI. Assae plenario iure Regio vti coepit Amri 1 Reg. XVI. 23. Hinc restant adhuc de annis Assae, (qui anno regiminis XLI. mortuus est 1 Reg. XV. 10.) nouem anni. His adiuuendi sunt anni XXV. Iosaphati 1 Reg. XXII. 42. et anni VIII. Iorami Iudaici 2 Reg. VIII. 17. Sic iterum XLII. anni prodibunt, quibus familia Amri floruerat, quum Achasia Iudaicus regnum adiret.

2) Deinde exempla quoque in medium producant, vbi annos personae cuidam attributos, non a natiuitate eius numeret S. Scriptura; sed ab alio quodam termino v. g. 1 Sam. XIII. 1. 2 Chron. XV. 19. Cap. XVI. 1. 2 Sam. XV. 7. Vnde concludunt, etiam in nostro loco XLII. annos Achasiae adsignatos, epocham esse regni Israelitici in familia Amri.

3) Nec mirum esse pergunt, quod durationem huius familiae hac praecise occasione indicare voluerit Spiritus S. quia Achasia huius familiae, cui affinitate iunctus erat, impietates sequebatur, et vna cum illa erat excindendus. Ob eandem etiam rationem 4) Athaliam Achasiae matrem Amraei filiam appellari, quamuis proprie Achabi filia fuerit; nimirum quo pateret, de duratione familiae Amraeae sermonem esse, non vero de annis aetatis Achasiae. Tandem 5) accedere dicunt, quod Iosaphat 2 Chron. XXI. 2. Regis Israelis titulum gerat, indeque concludunt, eodem iure quo Iosaphat Rex Israelis vocatur, licet ob contractam cum domo Achabi affinitatem, spes recuperandi regni Israelitici valde adhuc remota esset; etiam regnum Achasiae in nostro loco denotare posse regnum Israelis, quod tum temporis per XLII. annos in familia Amri viguerat.

(\*) Seder

- (\*) *Seder Olam Rabba*, Cap. XVII. p. 47. ed. MEYERI.  
 (\*\*\*) *In Annot. ad Seder Olam*, Cap. XVII, p. 920. Ita et IOH. ZYTHOPOEVS in  
*nodo Gordio Script. S. enodato.*  
 (\*\*\*) *In harmonia Biblica ad 2. Reg. VIII, 16. p. 491.* Conf. etiam IOH. IAC.  
 RAMBACHII *Hermeneutica S. p. 450. et Annot. Vber. in Hagiograph. Tom III.*  
*p. 815. Cel. IOH. GOTTL. CARPZOVII Introd. ad libros Canon. Bibliorum V. T.*  
*Part. I. p. 266. &c.*

## §. XVI.

Ast ex ipsa, qua sententia haec nititur versione, simul conu-  
 uellitur. Secundum illam non de familia Amri sermo est; sed de  
 ipso Amraeo, cuius filia fuit Athalia, quique annum egerit quadrage-  
 simum secundum, Achasia thronum occupante. Verum enimvero  
 Amri tot annos non regnauit, quum longe antea diem obierit. Sed  
 nec versio illa defendi potest. Quis enim facile ferret talem, quae  
 in illa assumitur, vocum traiectionem, vbi arctissime coniuncta  
 בן-ארבעים ושתים שנה אחיהו a se inuicem separantur; e con-  
 traria vero parte, vltimum versiculi vocabulum עמרי cum primis  
 eiusdem verbis בן-ארבעים ושתים שנה coniungitur? Tam dura  
 verborum Synchysis, vt vim infert textui sacro, ita nullibi in sacro  
 Codice occurrit. Quae enim a IUNIO et TREMELLIO in notis ad  
 h. l. adducuntur exempla, rem probandam non probant. Nam I. Sam.  
 XX. 16. ויכרת יהונתן עם-בית דוד ובקש יהוה מיד איבי דוד  
 occurrit formula iuramenti, in qua communiter aliquid per ellypsin  
 omitti solet, vel alia ratione, ob adfectum loquentis, naturalis ordo  
 verborum paulisper immutari. Neutrum de nostro loco, qui narra-  
 tionem historicam exhibet, valet. Potest vero locus allegatus  
 sine vlla verborum traiectione ita verti: *Sic pepigit Jonathan cum fa-  
 milia Davidis foedus, ut requireret Iehovah de manu inimicorum Davidis,*  
*scilicet, si quid mali contra Dauidem cogitarent, quod Jonathan ipsi*  
*indicare nollet. Nec in secundo et tertio loco Esdr. X. 17. et Neh.*  
*XII. 22. Synchysis statuenda est. Ibi enim inceptum die primo men-*  
*sis decimi negotium, exacto trimestri, absolutum dicitur die primo*  
*mensis primi. Hic vero eadem plane ratione vt in textu originali,*  
*verba consequuntur: Leuitarum, (vel Leuitas quod attinet, qui vixe-*  
*runt) temporibus Eliaschibi, Ioiadabi, Iochananisque et Iaddubae, conscripta*  
*sunt capita paternarum familiarum, itemque Sacerdotum, vsque ad regnum*



*Darii Persae.* Absque vlllo igitur simili exemplo ὕστερον πρότερον in nostro dicto assumitur.

## §. XVII.

Nec persuadent rationes, quibus conciliatio haec confirmari solet. Tantum enim abest, vt cum Chronologia sacra conspiciat, vt eidem potius oppido contraria sit. Si XLII. anni in nostro loco memorati, exhiberent epocham Regni Israelitici in familia Amri florentis; certe non ab illo demum tempore essent numerandi, quo mortuo Thibnio solus regnare coepit Amri; sed a primo regiminis eius initio. A toto enim exercitu, cuius imperator fuerat, in Regem electus 1. Reg. XVI. 16. potentia longe superauit Thibnium, licet et hic suam habuerit factionem v. 21. 22. Sit vero, epocham familiae Amraeae inchoandam demum esse a confirmato Amraei regno; ne sic quidem XLII. anni prodibunt vsque ad Achasia. Probari enim nequit, Amraeum octo annis solum regnasse. Si enim anno XXXI. Assae solus regnare coepit 1. Reg. XVI. 23. anno vero XXXVIII. Assae, et quidem (vt ex Schemate §. 13. probabile videtur,) incipiente, mortuus est filioque Achabo thronum reliquit; sex tantum annos et aliquot menses rerum summae praefuit. Praeterea duodecimus adhuc Iorami Israelitici annus subtrahendus est, quia cum vnico illo, quo Achasia Iudaicus regnauit, anno coincidit. Hinc anni VI. Amraei, anni XXII. Achabi et Achasiae Israelitici, et anni XI. Iorami Israelitici, non nisi XXXIX. ad summum XL. annos efficient: adeo vt Achasia nequaquam anno post confirmatum Amraei regnum quadragesimo secundo regnum adierit. Id quod magis adhuc confirmat Chronologia Regum Iudae. Nimirum recte regimini Assae, post plene stabilitam Amraei auctoritatem (§. 15.) tribuuntur nouem anni. Sequuntur anni XXV. Iosaphati. Sed cum his ex parte coincidunt VIII. anni Iorami Iudaici, quem iam anno regiminis sui decimo septimo regni negotiis admotum, anno XXII. in plenarium regni consortium cooptauit Iosaphat (\*): a quo termino octo anni, qui Ioramo tribuuntur, numerandi sunt. Patent hinc, in determinanda duratione familiae Amraeae, praeter IX. annos Assae, et VIII. annos Iorami Iudaici, non nisi XXII. annos Iosaphati in censum venire: qui simul collecti XXXIX. tantummodo annos efficient.

(\*) Asser.



(C) Assertum hoc nostrum sequenti ratione euincitur. Quum a Ioramo Israelitico ad expeditionem contra Meabitas intiretur Iosaphat, 2. Reg. III, 7: fortassis etiam simultates filiorum suorum videret; (Ioramus enim post parentis obitum fratres suos occidit, 2. Chron. XXI, 4. vnde colligitur, quod iam antea regnum adfectauerint.) mature de regni successione disponere voluit. Ideo Ioramum primogenitum in constans regni consortium assumptum; reliquos vero filios donis ac ciuitatibus munitis ditauit. 2. Chron. XXI, 3. Recte igitur dicitur. 2. Reg. VIII, 16. Ioramum Iudaicum regnare cepisse anno quinto Iorami Israelitici; quod verum non esset, nisi viuente adhuc patre solium conscendisset. Iosaphat enim Rex constitutus anno quarto Achabi, regnauit XXV. annis. 1. Reg. XXII, 41. 42. Achab vero XXII. annis reipublicae praesuit. 1. Reg. XVI, 29. Hinc mortuo Achabo, per XVIII. annos rexerat tribum Iudae Iosaphat, vel potius quia anno quarto Achabi exeunte regnum adiit, per XVII. annos plenos. Successor Achabi Achasia Israeliticus biennio regnauit, vel vsque ad annum secundum, quia anno XVII. Iosaphati 1. Reg. XXII, 52. et frater eius Ioramus Israeliticus, anno XVIII. Iosaphati regimini admotus est. Quintus adeoque Iorami Israelitici annus cadit in annum vicesimum secundum Iosaphati. Eodem igitur hoc anno quinto Iorami Israelitici ירושפט et regnante adhuc in Iuda Iosaphato, secundum 2. Reg. VIII, 16. Ioramus Iudaicus in consortium regni cooptatus est. Facilis quoque est huius loci cum 2. Reg. I, 17. conciliatio, vbi Ioramus Israeliticus regnare cepisse dicitur anno secundo Iorami Iudaici; si statuamus, hunc parentis sui absentis, et cum Achabo aduersus Syros profecti, vices in regno gessisse, anno XVIII. Iosaphati. Sic vtrumque verum erit: et Ioramum Israeliticum rerum potitum esse biennio post illum Iorami Iudaici vicariatum; et Ioramum Iudaicum in constans regni consortium assumptum esse anno quinto Iorami Israelitici. Schema Chronologicum quod (§. 13.) exhibuimus, maiorem dictis lucem adfundet.

## §. XVIII.

Fateor, ab historiae sacrae consuetudine adeo alienum non esse, annos Regibus adsignatos, ab alio etiam termino computare, quam ab eorundem natiuitate. Sic 1. Sam. XIII, 1. de Rege Saulo dicitur בן שנה שאול במלכו quae sane verba significare nequeunt, vnicum duntaxat annum natum fuisse Saulum, quum Rex constitueretur. Sed hoc saltem indicare vult Scriptor sacer, inter negotia praecedentibus capitibus memorata, primum regiminis eius effluxisse annum; elapso autem secundo anno milites sibi elegisse praetorianos. Hunc vero sensum verba in nostro loco habere nequeunt, nisi dicere velis,



Achasiā iam XLII. annis Regem fuisse, antequam solus regnare inciperet. Nec locum 2. Reg. VIII. 26. illam pati explicationem, quasi vna cum parente et auo XXII. iam annis regni negotia administrasset Achasia, supra (§. 14.) contra KERZIGIUM monuimus. Reliqua quae allegantur exempla, nostro loco similia non sunt. Nimirum 2. Chron. XV. 19. et Cap. XVI. 1. annus XXXV. et XXXVI. non potest esse annus regiminis Assae. Baesa enim, qui anno tertio regiminis Assae Rex Israelis constitutus est, et annis XXIV. regnavit, 1. Reg. XV. 33. annum XXXVI. regiminis Assae attingere haud potuit. Hinc annus hic tricesimus sextus ab initio diuisi regni numerandus est; id quod historia sacra aperte loquitur. Post annos enim XVII. Rehabeami 1. Reg. XIV. 21. et tres Abiae Cap. XV. 2. Assa thronum conscendit, qui anno XV. regiminis sui interneceione occidit Aethiopes 2. Chron. XV. 10. 11. Nullum igitur vsque ad annum diuisi regni XXXV. fuerat bellum v. 19, donec hoc ipso anno cum Aethiopibus, et anno sequente, (diuisi regni XXXVI.) cum Rege Israelis exarsit. Cap. XVI. 1. In quo loco alia plane, quam in nostro, occurrit locutio. Non enim dicitur, Assam tunc *filium fuisse XXXVI. annorum*, quum Baesa contra illum ascendit; sed factum hoc esse **בשנת שלשים ושש למלכות אסא** anno XXXVI. regni Assae, i. e. Iudaici, quod tunc administrabat Assa, XXXVI. abhinc annis ab Israelitico seiuncti. A notabili hac regni diuisione, noua facile institui potuit epocha; sed Thibnii obitus tam magni momenti res vix est, vt noua inde inciperet aera. Et si vel maxime duratio familiae Amraeae indicanda fuisset; initium eius potius, vt iam monuimus (§. 17.) caderet in annum XXVII. Assae, quo primum regno admotus est Amri. Sed de hac Regni in familia Amraea florentis duratione, in nostro loco ne quidem sermo est, quum non dicatur Achasiā anno XLII. *regni sui* thronum occupasse; sed *filium tot annorum* fuisse, quum regnare inciperet: quae phrasis non nisi de annis vsurpatur, quos idem, de quo loquitur historicus, ipse reuera exegit, siue inde a natiuitate sua, siue a notabili quadam vitae suae periodo. Facile hinc patet, nec locum 2. Sam. XV. 7. obijci nobis posse, vbi Absalom exactis annis quadraginta contra parentem rebellasse legitur. Numerandi enim sunt quadraginta anni, a prima Dauidis vnctione 1. Sam. XVI, 1. sq. (\*): hinc ipsi

ipsi Absalomo assignari nequeunt, qui neque tot annorum filius vocatur, quemadmodum Achasia in nostro loco.

(\*) Quadraginta facile anni elapsi sunt, a prima Davidis unctioe usque ad Absalomi rebellionem. Admodum iuuenis erat David, quum a Samuele ungeretur, 1. Sam. XVI, 11. 12. tantae tamen iam fortitudinis, ut leonem et usum occidere valuerit, Cap. XVII, 34. sq. vnde Cap. XVI, 18. vocatur *valens robore et vir bellicosus*. Non igitur errabimus, si illum tunc XX. annos natum fuisse dicamus. Post perpeffas multas Sauli persecutiones, anno trigesimo aetatis Hebrone Rex constituitur. 2. Sam. II, 3. V, 3. Sed Absalom Hebrone natus, 1. Chron. III, 1. 2. matrimonium iam contraxerat, quum contra Parentem rebellaret, 2. Sam. XVIII, 18. adeoque circiter triginta annos natus fuit. His si addas decennium persecutionis Davidis, prodeunt anni XL. quorum sine dubio mentio fit, ad indicandam Absalomi impietatem, qui parentem regno priuare volebat, ad quod iam ante XL. annos ab ipso Deo ius obtinuerat.

### §. XIX.

Quae restant argumenta, quibus sententiam de XLII. annis ab initio Regiae dignitatis familiae Amraeae computandis, ornare solent eius defensores; si dicendum quod res est, exigui sunt momenti. Quamdiu familia Amraea floruerit, quilibet cuius haec nosse interest, ex ipsa iam colligere potest Chronologia biblica, adeo ut superflua videatur aerae huius parum notabilis expressa mentio. Si vero etiam illam annotare voluisset Auctor libri Chronicorum; longe commodior fuisset locus, vbi interitum Iorami Israelitici nepotis Amraei eiusque in regno post Achabum successoris, commemorat; quam hic vbi de Achasia agit, qui tantum in linea materna ex domo Amri ortum traxit. Quamuis enim huius familiae impietatum imitator, et poenae confors fuerit; nullam tamen video consequentiam, quod ideo hac praecise occasione illius duratio indicari debuerit. Ut taceam, illam in ipso Achasia nondum exspirasse: floruit enim et post eius interitum in Athalia, Ioaso et Amazia. Fundamento praeterea caret assumptum, quod Athalia Achabi fuerit filia. Reuera enim, ut mox probabo, fuit filia Amri: hinc ex hac denominatione concludi nequit, in tota Scriptoris sacri narratione, adeoque et in XLII. annorum commemoratione, de familia Amri cogitandum esse. Tandem concedimus quidem, Iosaphatum Regis Israelis titulum gessisse, ob spem quam

quam fortassis concepit, de futura vtriusque regni combinatione. Sed conclusio inde elicitā non sequitur: nimirum eodem iure, quo regnum Israeliticum Iosaphato tribuitur, idem et Achasiae regnum tribui, adeoque huius in familia Amri florentis annos numerari posse. Nam ab illo demum tempore Reges Iudae simul Reges Israelis dici quodammodo poterant, quo regni haeres affinitatem cum familia Amri contraxit. Ipse vero Iosaphat Athaliam non duxit: affinitas enim cum domo Achabi cuius 2 Chron. XVIII. 1. mentio fit, talis fuit, per quam focer factus est התחתן לאחאב nimirum quum filio Ioramo Achabi filiam in vxorem daret. Probabiliter tunc in pactis coniugalibus hoc quoque sancitum fuit, Reges Israelis et Iudae affinitate inter se iunctos, vtriusque regni titulum gerere posse. Sed ab illo tempore non XLII. sed vix XIV. anni elapsi sunt vsque ad initium regiminis Achasiae; adeo vt ob hanc rationem regnum Israeliticum XLII. annis in familia Amraea florens, nequaquam Achasiae attribui queat. Ne dicam, aliud prorsus esse Regem Israelis vocari; aliud filium tot annorum in regno suo. Si enim vel maxime Regnum Israelis, Achasiae regnum dici posset: hic tamen filius XLII. annorum in hoc regno appellandus non esset, quum non nisi ius remotum obtinuerit ad haereditatem regni, quod in aliis tamdiu durauit.

## §. XX.

Ex dictis patet, quantis sententia quam nunc oppugnauimus, prematur difficultatibus; vnde mirum non est, plerosque illorum quibus placet, non sine formidine oppositi, et ex hac sola ratione eam defendere, quia nullam inuenerunt meliorem. Datur tamen melior nodi huius solutio, quae meo quidem iudicio, tantum non omnibus dubiis satisfacit, historiae sacrae rerumque circumstantiis conueniens, et ad tollendas alias sacri Codicis difficultates aptissima est. Nimirum statuimus, Achasiam filium fuisse adoptiuum, non solum Iorami, sed etiam Iosaphati. Si igitur anno aetatis XLII. regale solium conscendit, et ante XXII. retro annos a Iosaphato adoptatus est; optime consentiunt loca apparenter inter se pugnantia. Proprie enim annum egit quadragesimum secundum, quum regnare inciperet, 2 Chron. XXII. 2. Simul vero improprie XXII. annos natus fuit 2 Reg. VIII. 26. ob dictam adoptionem, per quam ante XXII. annos ad regnum quasi natus, spem illam successionis obtinuit, quam alias Regum filii per

per ipsam natiuitatem consequuntur. Explicationem hanc, IOH. CASP. MALSCHIIUM (\*) sequutus, pluribus adstruxit IOH. FRIDER. STEINIUS (\*\*). Cel. vero SIG. IAC. BAUMGARTENIUS eidem adhuc subscribere noluit, ob sat graues difficultates, quas accuratori lectorum examini subiecit (\*\*\*) . Diligenter eas excussi; sed probe pensitatis circumstantiis, adeo difficilis mihi visa non est ad omnia fere, quae obicit Vir Celeberrimus responsio: quam citra contradicendi prurium, in sequentibus beneuolo eruditorum iudicio submittere, mihi iam liceat. Exponam igitur distincte STEINII hypothesein, et plurius eam argumentis confirmabo, ita vt simul ad dubia quibus adhuc premitur, ordine respondeam.

(\*) *In Noctibus vaciuis, Lucerna sexta*: quem tamen tractatum ipse non vidi.

(\*\*) *In den Betrachtungen über die Wahrheit, Alterthum und Göttlichkeit der Schriften Altes und Neues Testaments, Part. IV, Cap. 6 p. 217 sq. & in Praefatione ad Tom. IV, der allgemeinen Welt-Historie p. 26.*

(\*\*\*) *In Praefat. ad Tom. IV, der allgem. Welt-Historie, Nota (21.) p. 27.*

### §. XXI.

Probandum initio erit, Achasiam non generatione, sed adoptione filium fuisse Iorami pariter et Iosaphati. Hoc quidem extra dubitationis aleam positum est, matrem eius fuisse Athaliam filiam Amri; 2 Reg. VIII. 26. XI. 1. 2 Chron. XXII. 2. 10. vnde Achasia vocatur *גמל gener*, id est affinitate coniunctus, non cum ipso Achabo, sed in domo Achabi 2. Reg. VIII. 27. Sed grauissimae obstant rationes, quo minus vel Athaliam pro coniuge Iorami habeamus, vel Achasiam pro eius filio ex hoc matrimonio nato. Nam 1) absurdum plane esset, filium anno aetatis XLII. regimini loco parentis admotum, biennio senioreni fuisse parente, qui iam quadragesimo aetatis anno diem obiit. Hinc vel Ioramus diutius vixit; vel Achasiam ipse non genuit. Prius verae Chronologiae et circumstantiis historicis aduersatur (§. 12.): hinc posterius concedendum erit. 2) Si vel maxime Achasia mortuo Ioramo non nisi XXII. annos natus fuisset; Iorami tamen ex Athalia filius esse non posset. Ioramus enim biennio ante obitum Achabi, filiam eius duxit 2. Chron. XXI, 6. coll. Cap. XVIII. 1. 2. Ab illo vero tempore vsque ad mortem Iorami, vix quatuordecim elapsi sunt anni (§. 13.) Quum igitur ex hoc coniugio filium annos XXII. natum relinquere nequiverit; patet, Athaliam nec filiam Achabi fuisse, nec Iorami uxorem. Mater vero fuit Achasiae;

E



fiae; hic igitur ab alio necessario patre genitus est, quam a Ioramo. Imo 3) expresse vocatur filia Amri Athalia (\*), nunquam vero Achabi filia, cuius potius soror fuit, quum Achabi filiam matrimonio sibi iunxerit Ioramus 2. Chron. XXI. 6. Nec 4) facile euasisset Athalia, ubi Arabes et Philistaei omnes vxores regias in captiuitatem abduxere, si ipsa ex earum numero fuisset. Omnia haec argumenta simul sumta haud exiguum habent pondus ad euincendum, quod Achasia proprius Iorami filius haud fuerit. (\*\*). Sed nec a Iosaphato, cuius filius vocatur 2. Chron. XXI. genitus est. Probari enim nequit Athaliam Iosaphati fuisse vxorem. Tunc certe Achasia non solum frater fuisset Iorami, quem titulum nunquam gerit; sed etiam maior natu frater: quum tamen inter Iosaphati filios Ioramus fuerit primogenitus, qui ideo proximum ius successionis in regno habebat. 2. Chron. XXII. 9. Tandem nec fratris Iorami filius esse potuit Achasia. Ioramus enim, qui dum rerum potiretur, fratres germanos interfecit, ne quis regni aemulus superstes maneret; vix filio fratris adulto pepercisset. Probabile igitur est, Athaliam Amraei filiam, quae alicui ex domo Iudae nupsit, matrimonio coniunctam fuisse filio cuidam anonymo Assae, ac fratri Iosaphati natu minori. Et ex hoc coniugio, Achasia biennio ante Iorami natiuitatem natus videtur. (\*\*\*) Confirmari etiam haec nostra exinde potest sententia, quoniam credibile non est, Iosaphatum, cuius pietas adeo laudatur in Scripturis, primum affinitatem Achabi quaesuisse, peioris vtique ipso parente Amraeo. Si vero iam antea, frater ipsius filiam Amri et Achabi sororem in matrimonium duxit; facilius concipi potest Iosaphati cum Achabo familiaritas, renouataque filii sui cum Achabi filia affinitas quodammodo excusari, quamuis alio respectu sua non caruerit culpa, nec periculo seductionis praesentissimo.

(\*) Nepotes quidem alias filii quoque dicuntur, et neptes filiae. Sed quum plures sint rationes, quae suadent, Athaliam reuera filiam fuisse Amri; haec compellatio omnino vim probandi habet. A proprietate enim vocum sine ratione recedendum non est.

(\*\*) Accederet 5, post Arabum incursionem nullum Ioramo remansisse filium, praeter Ioahasum natu minimum, 2. Chron. XXI, 17. mox vero successorem Iorami in regno vocari Achasiam, qui adeoque vna eademque cum Ioahaso persona vix esse posset. Sed hoc argumentum vrgere nolumus; siquidem solemne est historiae sacrae, eandem personam diuersis insignire nominibus; quemadmodum ipse Achasia paucis interiectis Asariae nomine venit. 2. Chron. XXII, 6. (\*\*\*)

(\*\*\*) Commemorantur sane, 2. Chron. XXII, 8. filii fratrum Achasiae a Iehu interfecti, qui 2. Reg. X, 13. eius fratres vocantur, et tam prouectae iam fuerunt aetatis, ut Achasiae seruire potuerint. Vnde merito concludimus, quod Iorami ex liberis in captiuitatem abductis nepotes non fuerint.

## §. XXII.

Varia sunt, quae contra hanc probationem obiicit Cel. sig. IAC. BAUMGARTENIUS, Nimirum 1) probabile ipsi videtur, Athaliam et Achabi filiam fuisse, et Iorami vxorem; quia alias tacente Scriptura, et mariti Athaliae, et filiae Achabi matrimonio iunctae Ioramo nomina nesciremus. Deinde 2) monet, contractam cum domo Achabi affinitatem non Assae exprobrari, sed Iosaphato 2. Chron. XVIII. 1. 2. XIX. 2. XX. 35. sq. vnde pateret, Athaliam non cum fratre Iosaphati, sed cum filio eius in coniugio vixisse. Inprimis vero 3) vrget frequentes historiae sacrae denominationes, dum Achasiam expresse filium Iorami vocat, et quidem natu minimum 2. Reg. VIII. 24. 25. 29. 2. Chron. XXII. 1. 6. Iosebam summi Sacerdotis vxorem et Iorami filiam, Achasiae sororem 2. Reg. XI. 2. 2. Chron. XXII. 11. Iosaphatum denique Ioramum et Achasiam, patres Ioasi. 2. Reg. XII. 18. Ad primam et secundam obiectionem facilis est responsio. Non semper enim in Scriptura sacra mariti et vxores expresse nominantur, ii praesertim qui exiguum in statum ciuilem habuerunt influxum, vel ad genealogiam Christi non pertinent. Nam ob duplicem hanc potissimum rationem, personae notabiles in libris Regum et Chronicorum nominatenus commemorantur. Hinc silentium S. Scripturae hic nobis non obest; quum aliae rationes grauissimae prohibeant, quominus Athaliam pro Achabi filia et Iorami vxore habeamus. Similiter ob silentium historiae sacrae de contracta iam filii Assae cum domo Achabi affinitate, haec plane neganda non est. Quam multa enim reuera facta sunt, quorum nulla in sacris litteris mentio fit? Solum foedus, quod cum Syris pepigerat Assa, reprehendere volebat Propheta Hanani 2. Chron. XVI, 7-9. non vero omnia minus recte acta: ut taceam, tum temporis nuptias filii eius cum Amraei filia celebratas nondum fuisse. Fortassis et hanc nimiam Assae conuenientiam, in permittendo filii sui cum Athalia coniugio, postea eidem exprobrarunt prophetae; quamuis tolerabilior vtique fuerit cum filia Amraei coniunctio, quam affinitas Iorami cum filia Achabi. Amri quidem sat malus erat, imo peior praedecessoribus suis 1. Reg. XVI.



25; eius tamen tempore nondum introductus erat cultus idololatri-  
cus Baalis, qui demum sub Achabo inualuit v. 30. 31. rege ad com-  
mittenda quaeuis scelera quasi vendito. 1. Reg. XXI. 25. 26. Adeo  
vt seueriori reprehensione digna fuerit filii Iosaphati cum pessima do-  
mo Achabi affinitas. Prophetas tamen ob hanc rationem Iosapha-  
tum obiurgasse, historia sacra non dicit; sed ideo, quia auxilium  
praestiterat Achabo aduersus Syros eunti 2. Chron. XIX. 2. et con-  
sociauerat se cum Achasia Israelitico, in conficiendis nauibus Cap. XX.  
35. sq. Tertium vero quod nobis opponitur argumentum, plus in  
recessu habet; sed insolubile ideo non erit. Vrgentem enim hic  
rationem adesse arbitror, a propria verborum significatione paulisper  
recedendi. Vocatur saepius Iorami filius Achasia: et talis reipsa fuit,  
postquam eum adoptauerat Ioramus. Ob eandem rationem simul  
Iosaphati fuit filius. Sane, si Moses a filia Pharaonis adoptatus, eius  
filius dicitur Hebr. XI. 24. Exod. II. 10. Act. VII. 21. multo magis  
hoc nomen Achasia gerere potuit, qui praeterea propinquus agnatus  
erat Iorami. Similiter Iosaphat Ioram et Achasia patres Iosaphati  
quia non solum eius in regno praedecessores fuere; sed etiam ob pro-  
prii parentis adoptionem maiores. Ob eandem denique Achasiae  
adoptionem, Ioseba eius soror recte dicitur, quae praeterea patris  
eius Iosaphati neptis fuit. Notum vero est, in Scripturis agnatos  
etiam remotiores fratrum et sororum nomine venire (\*).

(\*) Conf. Gen. XIII, 6. XXIX, 15. Iud. IX, 1. 1. Chron. XII, 29. 2. Chron.  
XXII, 8. coll. 2. Reg. X, 13. Eodem certe gradu consanguinitatis, quo  
Achasia contingebat Ioseba, Isaac coniuncta erat Rebecca, quippe cuius  
auus erat Nahor Isaaci patruus. Ob istam autem cognationem, Isaac Re-  
becca absque mendacio sororis nomine compellabat, Gen. XXVI, 7. quem-  
admodum in simili casu Abraham fecerat, Gen. XX, 12. ne vitae pericu-  
lum incurreret, si illam uxorem suam profiteretur.

### §. XXIII.

Constat igitur, nec Iosaphato nec Ioramio parente progenitum esse  
Achasia. Quum igitur vtriusque dicatur filius; non nisi ob vtri-  
usque adoptionem nomen hoc gerere potuit. Si conferamus tabu-  
lam chronologicam (§. 13.) exhibitam, Achasia anno XXVIII. Assae  
natus, et anno septimo regiminis Iosaphati, ab hoc adoptatus videtur.  
Ipse tunc annum vicesimum, Ioramus vero Iosaphati primogenitus  
annum decimum octauum egit. Nec improbabile est, reliquos sex  
Iosa-

Iosaphati filios tum temporis natos iam fuisse. Sed hoc non impedit, quo minus ex amore in fratrem, eius primogenitum (\*) Achasiam adoptare, eumque hac ratione successionis in regno capacem declarare potuerit. Si enim Iacobus ex reliquis Iosephi filiis, Ephraimum et Manassen peculiari modo adoptauit, licet plures habuerit filios Gen. XLVIII. 5; cur Iosaphat idem facere nequiuerit, nescio. Non enim proximum ius Achasiae per istam adoptionem ad regnum dedit; sed remotam tantummodo ipsi spem succedendi fecit. Extant eiusmodi exempla in Feudalibus, ubi idem Feudum simul agnatis remotioribus conceditur, ut extincto forsâ stemmate propinquiori, in ordine suo succedere possint. Nec sine rationibus politicis decreuisse videtur Iosaphat adoptionem filii sororis Achabi. Fortassis iam tunc de reduniendo regno Israelitico cogitauit: saltim proprium regnum conciliata sibi hac ratione Achabi amicitia, firmiter reddere intendit. Imo quum subortos inter liberos suos simultates animaduerneret; sine dubio timuit, ne successu temporis inimicitiae ingrauescerent. Maturum igitur consilio, et regno suo prospicere voluit, adoptione filii fratris euentualem ut ita dicam constituendo throni haeredem, si forsâ filii sui bello intestino se inuicem interimerent; et his concordiam simul suadere, si viderent, alium adesse, cui si paterno amore indignos se redderent, regnum relinquere posset. Ista adeoque in familiam Regiam adoptione, ad regnum quasi natus est Achasia, ad quod alias ob suam natiuitatem, rerum summam tenente filiisque praedito Iosaphato, nullum iam amplius ius habebat. Et ab hoc termino anni XXII. qui 2 Reg. VIII. 26. Achasiae adsignantur, numerandi sunt. Licet enim reuera quadragesimum secundum aetatis annum egerit, quum regnare inciperet; fuit tamen simul filius XXII. annorum, ratione natae ante XXII. abhinc annos spei ad vitam Regalem.

(\*) Primogenitum patris sui fuisse Achasiam, inde colligitur; quia anno XXVIII. Assae natus est ex filia Amri, qui demum anno XXVII. Assae thronum Israeliticum occupauit.

§. XXIV.

Eundem vero Achasiam, quem Iosaphatus iam filium adsciuerat, Ioramus denuo adoptasse credendus est; cuius rei sequens ratio videtur. Philistaeorum et Arabum exercitus in captiuitatem abduxerat omnes Iorami filios, ita ut ei non relinqueretur filius, nisi Ioahas natus minimus 2 Chron. XXI. 16. 17. Hic vero vna eademque cum

E 3

Achasia



Achasia persona esse nequit (§. 21.): et quum post matrimonium Iorami cum Achabi filia tredecim annis ante parentis obitum initum (§. 13.) quamvis ex alia vxore natus, omnium filiorum natu minimus fuerit; circa finem vitae Iorami in prima adhuc fuisse videtur pueritia. Sed ob insanabilem quo laborabat morbum Ioramus 2 Chron. XXI. 18. nulla iam amplius spes alios suscipiendi filios supererat. Consultum igitur utique videbatur, in omnem euentum tutorem filii pupilli constituere; qui succedere etiam in regno posset, si forte tener Ioahafus praematura morte defungeretur. Ast neminem fere ad hoc magis idoneum inuenire potuit, quam Achasiam; qui per Iosaphati adoptionem iam ius quoddam ad regnum obtinuerat. Hinc admodum probabile est, Ioramum circa finem regiminis sui, non solum Achasiam tutorem filii sui Ioahafi constituisse; sed etiam, quo maiorem haberet auctoritatem, denuo adoptasse. Vocatur hinc Achasia 2 Chron. XXII. 1. בנו הקטן *filius eius minimus*: reipsa enim post natos iam reliquos filios, adoptione filius Iorami factus est. Imo, sine dubio iam ingrauescente morbo Iorami, anno eius septimo, regni habenas eius vice tenuit: quia iam anno vndecimo Iorami Israelitici, qui respondet anno septimo Iorami Iudaici, regnasse dicitur 2 Reg. IX. 29. (\*) Mortuo vero Ioramo Iudaico, plenario iure regio uti coepit anno duodecimo Iorami Israelitici 2 Reg. VIII. 25. Quod restat, eo magis necessaria videbatur iterata Achasiae adoptatio, et iuris eius ad regni successionem renouatio; quo luculentius Ioramus caede fratrum suorum significauerat, se neminem pro legitimo regni successore agnoscere velle, nisi proprios filios. Mutatis enim circumstantiis, quum vnicus ipsi superesset tantum filius, et quidem tenerrimae aetatis, Ioahafus; et consilium mutare, et de constituendo euentuali regni haerede ordinare, necessum duxit.

(\*) Hac ratione apparens contradictio inter 2. Reg. IX, 29. et Cap. VIII, 25. optime conciliari potest: ut adeo opus non sit, in alterutro loco cum ALPHONSO DES VIGNOLES in *Chronol. de l'histoire sainte Lib. II. §. 20. p. 331.* corruptionem textus originalis statuendi.

§: XXV.

Euanescit hinc dubium, quod dictae Achasiae adoptioni obstare videtur: nimirum, concipi non posse, qua ratione Ioramus, cui proprii filii non deerant, quique ipse toto biennio iunior erat Achasia, hunc adoptare potuerit; praesertim quum tam impatiens fuerit aemulorum

lorum regni, vt fratres germanos vna cum nonnullis senioribus Israe-  
 lis interfecerit 2 Chron. XXI. 2-4. Si enim 1) tum demum facta est  
 adoptio illa, postquam omnibus filiis suis, praeter vnicum Ioahasum,  
 priuatus fuerat Ioramus; sufficiens eius adfuisse videtur ratio. Ad-  
 optauit quidem talem, qui ob aetatem aliquanto maiorem, prius ac  
 ipse mori poterat; sed ob grauissimum quo laborabat morbum, exi-  
 gua longioris vitae spes reliqua ipsi erat. Vt taceam, non solum  
 ipsum Achasia; sed eius quoque filios, ista adoptione, ceu sanctione  
 vt ita dicam pragmatica, successionis in regno capaces declaratos esse.  
 2) Nec plane defunt in historiis eiusmodi adoptionis, qua filius aetate  
 patrem superauerit, exempla (\*). Imo, si quod interdum vsu venire  
 solet, privignus ex priori matris suae coniugio natus, maior aetate esse  
 potest, ac vitricus, quem iam patrem salutare debet: multo magis qui  
 ob solam regni successionem stabiliendam, adoptatus est Iorami pa-  
 truelis, illo senior esse potuit, qui filii iura ipsi donauit. Et si vel ma-  
 xime adoptio Achasiae extraordinaria prorsus fuisset, ac sine exemplo;  
 nihil tamen aliud nisi hoc inde sequeretur, nunquam fere tam ambi-  
 guam fuisse regni Iudaici successionem, quam tum temporis. Ipse  
 enim Rex non sine praesentissimo mortis periculo aegrotabat. Filios  
 tantum non omnes Arabes et Philistaei in captiuitatem abduxerant;  
 Fratres vero ipse interfecerat. Vnicus tantummodo superstes erat  
 regni haeres Ioahasus, sed in cunis adhuc existens. In casu tam ex-  
 traordinario; adoptio alias inusitata haud improbabilis videtur. 3)  
 Tandem, tantum ab Achasia periculi metuendum vix erat Ioramo,  
 quam a fratribus suis; vt illum vna cum his iam antea occidere con-  
 sultum duxerit. Remotum saltem ad successionem in regno ius, per  
 Iosaphati adoptionem obtinuerat Achasia, quod extinctis demum  
 omnibus Iosaphati filiis, validum esse potuit. Hinc viuente adhuc  
 Ioramo, de regno sibi vindicando eo minus cogitare poterat, quo ma-  
 gis ad tantam molitionem vires ipsi defuere. Iorami vero fratres, ex  
 donatione parentis Iosaphati, non solum auro argento et rebus pre-  
 tiosis abundabant; sed munitas quoque in ipso regni meditullio possi-  
 debant ciuitates, adeo vt facillime seditionem concitare potuerint.  
 Et suas forsitan reipsa iam habuerunt factiones, maxime inter seniores  
 Israelis, quos ideo capite plexit Ioramus. Achasia tamen, in ancipiti  
 hoc reipublicae statu, non solum melius simulare didicit; sed ex par-  
 tibus quoque Iorami, (cui ob matrem Athaliam vxoris Iorami ami-  
 tam

tam, affinitate iunctus erat,) stetit: id quod vel ipsa prudentia politica eidem suadere potuit. Quo facto tantum Regis fauorem sibi conciliasse videtur, ut postea sine omni timore, et filium Ioahasum eius fidei commiserit, et ipsum adeo adoptare nullus dubitauerit.

(\*) Simile exemplum commemorat CICERO in *Oratione pro domo sua ad Pontifices* Cap. 13, 14. *Opp. p. 524.* nimirum Clodii a Fonteio adoptati. Hanc quidem adoptionem pro illegitima declarat: *Nego inquit, istam adoptionem pontificio iure factam, primum, quod hae vestrae sint aetates, ut is qui te adoptauit, vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit; vel eo quo fuit; deinde, quod causa quaeri solet adoptandi, ut et is adoptet, qui quod natura iam assequi non potest, et legitimo et pontificio iure quaerat.* Cact. Tales tamen adoptiones eorum qui aetate maiores fuerunt, a priscorum temporum consuetudine non prorsus alienas fuisse; ex hoc ipso exemplo, (cuius et mentionem facit C. SVETONIUS TRANQVILLVS Lib. 3. Cap. 2. in Tiberio) merito colligitur. Quo etiam spectat Imperatoris IVSTINIANI lex Lib. I. Institut. Tit. XI. §. 4. *Minorem natu maiorem non posse adoptare placet: adoptio enim naturam imitatur, et pro monstro est, ut maior sit filius quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plena pubertate, id est decem & octo annis praecedere.*

#### §. XXVI.

Quamuis vero ob Iorami adoptionem, ius quoddam ad regnum obtinuisset Achasia, cuius etiam negotia viuentis adhuc praedeceffore reapse administravit: proximus tamen regni haeres post Iorami obitum, huius filius fuit Ioahasus; cuius tantummodo nomine, tanquam Vicarius regnare debuisset Achasia. Sed excluso Ioahaso, regnum sibi soli vindicasse videtur: id quod exinde colligimus, quia ciues Hierosolymitani eundem Regem constituisse leguntur 2. Chron. XXII. 1. adeo ut eorum ope et suffragiis adiutus, regale solium conscenderit. Certe, peculiari electione populi opus non fuisset, nisi extraordinaria via regnum adisset Achasia. Imo omnia historiae sacrae exempla, in quibus eiusmodi electionis mentio fit, haud obscure indicant, regni tunc successione controuersam fuisse. Sic Vsiam loco Amaziae Regem constituit populus Iudaicus 2. Chron. XXVI. 1. quia, ut ex sequentibus patebit, non proprius fuit Amaziae filius; sed non nisi in filium adoptatus. Similiter Iosias, quamuis ut legitimus throni paterni haeres successerit Ammoni; a populo tamen introducendus erat ad regnum, cuius habenas ipse capeffere non poterat, et ob perturbatum tum temporis reipublicae statum, (conspirauerant enim contra Ammonem serui eius, eumque interfecerant, quos ideo populus

populus



pulus terrae percussit ) ; et ob teneram ipsius aetatem, quum occiso parente, annum vix egerit octauum. 2 Chron. XXXIII. 35. Cap. XXXIV. 1. Iosiae vero filium Ioahasum iterum in locum defuncti parentis suffecit populus Iudaicus, et quidem praeterito fratre natu maiori (\*), adeoque legitimo regni haerede Eliakimo, ob quam iniustam electionem Rex Aegypti Ioahasum amouit, regionique multam centenorum talentorum argenti et talenti auri imposuit. 2. Chron. XXXVI. 1-3. Ex hisce exemplis merito concludimus, rationem cur electionis populi mentionem facit historia sacra, non aliam esse, nisi quod extraordinarii quid tunc obtinuerit in successione. Idem dicendum erit de Achasia, qui quamuis proximum ius ad regnum nondum habuerit, repudiato Ioahaso pupillo, ad regalem dignitatem a populo admotus videtur. Non desunt in historiis similia tutorum pupillos supplantantium exempla: quod eo maiori facilitate facere poterat Achasia, quo maiorem sibi inuidiam Ioramus caede fratrum suorum conciliauerat; adeo vt populus Achasiae potius a Iosaphato et Ioramo adoptato, quam filio tyranni Ioahaso parere maluerit. Accedit, quod maior vtique ab Achasia protectio expectanda erat, domui Israelis affinitate coniuncto, quam a Ioahaso duorum vel trium annorum infante; qui secundum omnem probabilitatem, demum post abductam cum reliquis Iorami vxoribus Achabi filiam, ex alia coniuge prognatus fuit, adeoque domus Israeliticae vix sperare poterat praesidium.

(\* ) Natus enim XXIII. annos erat Ioahas quum regnum adiret, quod tribus tantummodo mensibus tenuit. Sed qui immediate successit frater Eliakimus annum tunc egit XXV. 2. Chron. XXXVI, 2. 5.

### §. XXVII.

Secundum hanc nostram dubii solutionem, luculenter simul patet, quam stricte comminatio diuina de funditus euertenda vniuersa Achabi familia 1. Reg. XXI. 21-24. complementum sortita sit. Nimirum Iehu quotquot ex Achabi domo in Israele inuenit, Ioramum Israeliticum, Achasiam, Iesabelem, filios Iorami Israelitici et fratrum Achasiae filios, trucidauit 2. Reg. IX. 7. 8. 24. 27. 33. Cap. X. 7. 11. 13. 14. Mox Hierosolymis Athalia Achabi soror et Achasiae mater, totum semen Regium, excepto vnico Ioaso, eradicauit, 2. Chron. XXII. 9-11, Ipsa vero Athalia, postquam sex annis regnasset, occiditur Cap. XXIII. 15. Qui ex posteris Achabi superstes erat Ioasus, thronum quidem conscendit, et per quadraginta annos

F

regnum



regnum tenuit; violentam tamen mortem tandem euitare non potuit Cap. XXIV. 15. Successit ipsi in regno filius Amazia. Huius vero filios, si modo filiis praeditus fuit, obsides Samariam misit Ioas Rex Israelis, vbi probabiliter misere extincti sunt Cap. XXV. 27. Tandem et ipse Amazia a sibi subditis interfectus est. v. 27. Sic vltimus ex familia Achabi oriundus, violenta morte periit. Qui enim post Amaziam in thronum euectus est Vfia, ab eodem parente prognatus vix esse potest; quum filii Amaziae Samariam abducti sint, in qua captiuitate sine dubio diem obierunt. Filius adeoque adoptitiuus Amaziae fuisse videtur Vfia, cui nec sine populi consensu aditus ad regnum patebat 2. Chron. XXVI. 1. Idem vero Matth. I. 8. vocatur Iorami filius; vnde colligimus, quod Iorami fuerit ex Ioahaso nepos, adeoque ex familia Achabi non oriundus. Filiam enim Achabi, vna cum reliquis vxoribus et liberis Iorami, interfecerant Arabes et Philistaei 2. Chron. XXI. 17. qui Ioahaso haud pepercissent, si tum temporis natus iam fuisset. Hinc post tristem hunc euentum, aliam sine dubio duxit vxorem Ioramus, ex qua Ioahasum Vfiaem parentem suscepit; ad quem proinde comminatio diuina de extirpanda Achabi familia extendi nequit. (\*)

(\*) Ioas quidem Achasiae filius 2. Reg. XIV, 13. vocatur filius Ioahasi 2. Chron. XXV, 23. Ast quia Achasia et Ioahas vna eademque persona esse non potest (§. 21.) difficultas haec optime tolli poterit, si dicamus, Ioramum eo tempore, quo Achasiam adoptauit, eiusque fidei filium suum commisit, eidem simul nomen Ioahasi impertisse; quo indicaret, quod non nisi nomine Ioahasi reipublicae praeesse deberet.

#### §. XXVIII.

Quae contra §. praecedentem formantur dubia, facilem admittunt solutionem. Monet Cel. BAUMGARTENIUS, vaticinium de interitu domus Achabi 1. Reg. XXI. 21-24. conferendum esse cum instructione, quam Iehu 2. Reg. IX. 7. 8. accepit: qui etiam vnctus dicitur ad excindendam domum Achabi 2. Chron. XXII. 7. et instrumentum fuit, per quod comminatio diuina adimpleta est 2. Reg. X. 10. 17. Quum vero Iehu nec Athaliam occiderit, nec Ioasum, nec Amaziam; inde patere existimat, vaticinium illud non ad omnes et singulas personas ex Achabi familia oriundas extendendum esse, sed cum restrictione quadam intelligendum, nec euentu caruisse, quamuis vel maxime nonnulli domui Achabi affinitate iuncti violenta morte haud perierint; siquidem historia sacra nec filiae Achabi Iorami coniugis, nec sororis Achasiae Iosebae interitum commemorat. Verum

rum



rum enimvero, ex 2 Reg. IX. 7. 8. videre est, excidium quod Iehouah familiae Achabi comminatus fuerat, per manum Iehu inchoandum quidem fuisse, sed nondum consummandum. Ipse enim Iehouah sibi reseruauerat, excindendi Achabo suo tempore mingentem ad parietem conclusumque et derelictum in Israele. Quamuis igitur Iehu fecit omnia quae Iehouah per illum fieri decreuerat 2. Reg. X. 30. nondum tamen eius ministerio vaticinium quoad totum suum ambitum adimpletum erat: quod postea demum factum est, quando permittente et id procurante DEO, omnes qui ex maledicta hac familia adhuc supererant, trucidati sunt. Imo iam antea ipsa Achabi filia et Iorami coniux, ab Arabibus et Philistaeis in captiuitatem abducta, misere periit. Ad Iorami autem filiam Iosebam summi Sacerdotis vxorem, extendi nequit vaticinium diuinum, si, quod haud improbabile videtur, ex alia quam Achabi filia Iorami vxore, nata fuit.

## §. XXIX.

Ex nostra sententia Ioahas Iorami filius, longe post Achasiae obitum Vsiam genuit. Noua hinc oritur difficultas. Quum enim Athalia statim post Achasiae mortem *omne* semen Regium domus Iudae occiderit, adeo vt solus euaserit Achasiae filius Ioas; qua ratione in vniuersali hac caede viuis conseruari potuerit Ioahafus, conceptu difficile videtur. Notandum vero, propositionum vniuersalium notas saepenumero non sine restrictione accipiendas esse, adeo vt *omne* haud raro maximam tantummodo partem significet. Si Ioas superstes mansit, quamuis *omne* semen Regium interfectum dicatur: quidni Ioahafus, qui minorem adhuc Athaliae suspicionem mouere poterat, ac ipse Ioas auiae suae notissimus? Admodum praeterea probabile videtur, Ioahafum hunc, quem regno excluderat constitutus tutor eius Achasia, mature ab amicis suis occultatum fuisse, ne contra eius quoque vitam quid moliretur regni vsurpator; id quod, quia in prima adhuc versabatur pueritia, eadem facilitate fieri poterat, ac Ioasi occultatio. Durante igitur Athaliae tyrannide, optime sine dubio latuit Ioahafus, adeo vt Athalia eum, cuius nulla iam amplius mentio fiebat, nec ad supplicium sciscitari necessum duxerit; maxime quum in filios Regis Achasiae potissimum grassata fuerit. 2. Chron. XXII. 11. Mirum omnino videretur, summum Sacerdotem Ioiadam, nepotem impiae Athaliae Ioasum praeferre maluisse Iorami filio Ioahafso, si hic tum temporis superstes adhuc fuisset. Ast ratio in promptu est; siue dicas, Iosebam germanam fuisse



Achasiae sororem, siue quod circumstantiis conuenientius est (§. 22.), eam pro Iorami filia habere propria. Si illud: Ioiada vxoris suae fratris filium prae cognato remotiori in regale solium euehere decreuit. Si hoc: fortassis Ioahasum Regem constituere maluisset Ioiada, nisi grauissimae id impediissent rationes. Ioahafus enim iam ante aliquot annos euauerat, ipso sine dubio summo Sacerdote, vbi lateret, nesciente. Ioas vero praefectus erat, et in templo occultabatur: hinc quia periculum in mora et tyrannidis iugum excuciendum erat, hunc potius reipublicae praeficere consultum duxit, quam incertam exspectare Ioahasi apparitionem; maxime quum probabiliter longe gratior populo fuerit filius Achasiae Regis immediate praecedentis, quam Iorami tyranni filius, cuius ob caedem fratrum suorum perinuisa erat recordatio, adeo vt ob hanc ipsam rationem, iam olim excluso Ioahaso, Regem elegerint Achasiam ciues Hierosolymitani.

## §. XXX.

Assumpta hypothesis nostra de Vsia filio Amaziae adoptiuo, ideo parum probabilis videtur Viro Celeberrimo, quod Amazia qui propriis haud caruit filiis 2 Chron. XXV. 24. 2 Reg. XIV. 4. alienum vix adoptasse credendus sit. Verum enimvero, si dicendum quod res est, ex locis allegatis ne quidem indubitanter probari potest, Amaziam filiis praeditum fuisse. Ioas enim Rex Israelis Samariam secum duxit בני הערבות *filiis pignorum* i. e. obsides, quod Targum ita explicat, filios *optimatum* sibi oppignoratos. Largiamur vero, in his obsidibus etiam fuisse ipsius Regis filios; hi tamen in captiuitatem abducti, secundum omnem probabilitatem nunquam redierunt, sed interfeciti sunt, adeoque Parenti in regno succedere non potuerunt. Nimirum vixit Amazia post mortem Ioasi Israelitici quindecim annis 2 Chron. XXV. 25. Hinc anno XVIto ante obitum suum, filiorum suorum iacturam fecit. Sed Vsia annum agebat XVI. quum regnare inciperet 2 Chron. XXVI. 3. Hinc ex illorum filiorum Samariam abductorum numero non fuit. Nulla vero fuisset ratio, filium natu minorem Regem constituendi, si fratres natu maiores tunc superstites adhuc fuissent. Patet ergo, Amaziam vel demum post reliquorum filiorum interitum Vsiam genuisse; vel si ἀπίστος mansit, Vsiam in filium adoptasse. Illud possibile; hoc vero probabilius videtur: quia nec aliorum Amaziae filiorum mentio fit, nec sine peculiari populi electione thronum conscendit Vsia. 2 Chron. XXVI. 1. Recte autem ob istam adoptionem, per quam filii iura obtinuit Vsia, vocatur Ama-

Ama-





Non omnes quidem Matthaeus in genealogia Christi, quam v. 17. in tres distinguit tesseradecades, enumerat generationes immediatas; siquidem et Ioahafum Vfiac parentem ideo omittit, quia in secunda tesseradecade non nisi tales personas nominare voluit, qui tanquam reges reipublicae praefuerunt; id quod de Ioahaso non valet, qui nunquam non priuatam egit vitam. Ast ratio tamen esse debet, cur praec aliis potissimum Achasiam Ioasum et Amaziam, Reges immediate sibi succedentes omittat, quamvis duo posteriores non solum melioris notae fuerint principes, sed etiam alter per XL. alter per XXIX. annos regnum Iudaicum gubernauerint. Hos praec aliis commemorare debuisset; nisi ob peculiarem rationem, admissa LXX. annorum intervallo, silentio praeterire illos voluisset. Sed alia forsitan ratio huius silentii dari vix poterit, nisi quod dicti Reges ad Christi genealogiam reuera non pertinent.

### §. XXXII.

Collatis omnibus, quae in hac Dissertatione exposuimus argumentis, sufficienter ut arbitror patebit, nostram de annis Achasiae sententiam, ob insignem probabilitatem suam, caeteris anteferendam esse. Si suas, quod non nego, adhuc habet difficultates; minores tamen erant, quam quibus laborant reliquae. Ab omnibus sane difficultatibus Chronologia sacra libera esse nequit. Latent nos saepenumero peculiare rerum gestarum circumstantiae, quas si sciremus, melius nodos hinc inde occurrentes extricare possemus. Consuetudines priscorum temporum et remotiorum regionum a nostris valde differunt: hinc fieri olim et alibi potuit, quod hodie apud nos fieri non solet. Praeterea Scriptores sacri annos Regibus assignatos plenos numerare solent, quamvis incepti tantummodo fuerint: quod in collatione annorum regiminis Regum Iudae cum annis Regum Israelis, multum negotii facessit interpretibus; maxime quando initium epochae cuiusdam diserte indicatum non est. Licet vero non semper datum nobis sit, in his aliisque id genus circumstantiis, plenariam attingere apodixin; sufficere tamen probabilitas hermeneutica, qua cum merito eligimus sensum, qui et verbis phrasibusque, et scopo dicentis omnium convenientissimus est, quamvis suas adhuc habeat difficultates. Et si vel maxime post omnem laborem dubia nonnulla remanerent, quibus resoluendis nos pares non sumus; alii forsitan perspicaciores praestare id poterunt. Quis vero ideo sacris litteris corruptionis maculam inurere vellet quia pro exiguo quo pollet ingenii modulo, omnes dispellere nondum valeat? Habent sane ipsae hae difficultates utilitatem suam. Studium scripturas acuiunt, et manifestum imbecillitatis nostrae sunt indicium. *ἐν μέγας γὰρ γινώσκουεν, καὶ ἐν μέγας προφητεύουεν.* 1 Cor. XIII. 9. Studeamus modo, ne rimando circumstantias historiae sacrae accessorias, licet in se vtilissimas, et ad retundendam Antiscripturariorum impietatem consideratione dignissimas, dulcem Verbi diuini nucleum negligamus. Ideo enim in primis incorrupta S. Scripturae tuenda est integritas; vt de reuelata nobis in eadem via salutis plenam obtineamus conuictionem. Opera vero danda est, vt quam integram habemus voluntatem diuinam, ex integerrimo quoque corde faciamus.

